



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Clemens III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1187.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia pacis inveniant Amen.

Ad te Domine levavi animam meam.

✠ Ego URBANUS Catholice Ecclesie Episcopus.

- † Ego Henricus Albanensis Episcopus.
- † Ego Paulus Prænestinus Episcopus.
- † Ego Theobaldus Hostiensis, & Velletrensis Episcopus.
- † Ego Petrus Presbit. Card. tit. S. Sufannæ.
- † Ego Laborans Presbit. Card. S. Mariæ Transiberim tit. S. Callisti.
- † Ego Pandulphus Prebist. Card. tit. XII. Apostolorum.
- † Ego Melior Presbit. Card. SS. Joannis & Pauli, tit. Pammachii.
- † Ego Adalardus tit. S. Marcelli, Presbit. Card.
- † Ego Jac. Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin.
- † Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.
- † Ego Roland. S. Mariæ in Porticu, Diac. Card.
- † Ego Petrus S. Nicolai in carcere Tullian. Diac. Card.
- † Ego Rad. S. Georgii ad velum aureum, Diac. Card.

Datum Veronæ, per manum Moysi Lateranensis Canonici, viceagentis Cancellariæ VII. Kal. Aprilis Indict. v. Incarnationis Dominicæ, anno MCLXXXVII. Pontificatus vero D. Urbani Papæ III. anno 2.

Ne Domus Claustrales Laicis dentur aut locentur.

III.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri R. Episcopo, & dilectis filiis Decano, & capitulo Carnotensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Dachser.
T. III. Spic.
pag. 550.

AUDIVIMUS & audientes nequivimus non mirari, quod Laici quidam in Claustro vestro domos jure hæreditario possidentes, tales personas plerumque admittunt per quas Clericorum quies in honesto strepitu sæpe turbatur, & devotio populi ne divinis intendat officiis præpeditur. Jocularibus quidem alatoribus, cauponibus & mulieribus turpibus præscriptæ domus de consuetudine prava locantur.

Volentes igitur communi Ecclesie honestati consulere, auctoritate Apostolica prohibemus, ne domos Canonicales ulterius Laicis, per quos honestati Ecclesiasticæ derogeretur, vel gratis dentur, aut etiam sub quacumque occasione locentur.

Constituimus etiam de domibus, quas Laici in Claustro jure hæreditario tenent, si eas in personis propriis cum honestâ familiâ, exclusis mulieribus turpibus inhabitare noluerint, ut non nisi Clericis, vel personis regularem vitam professis gratis, vel pro pretio concedant, si congruum eis pretium voluerint exhibere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Ven. XII. Kal. Martii.

ANNO
1187.

GREGORIUS VIII.
PONTIFEX CLXXV.
ANNO DOMINI MCLXXXVII.

Gregorius Beneventanus, prius vocatus Albertus omnium suffragio electus est anno 1187. tempore Friderici Imperatoris. Post dies quinquaginta septem Pontificatus sui obiit. (*Magni Bullarii Rom. Tom. I. hujus Edition. Luxemb. 1727. fol. 48.*)

Pro justitiâ faciendâ & litibus componendis.
GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, omnibus Prelatis Ecclesiarum ad quos litteræ iste pervenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem.

I.
Lab. T.
X. Concil.
Col. 1752.

QUONIAM ad Episcoporum maxime spectat officium afflictis & laborantibus subvenire, unumque illorum licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit: prospicere tenemur & volumus, ne quis ex fortuitis casibus per Romanæ visitationem Ecclesie laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustraretur effectu. Inde siquidem fuit, quod nos multorum prospicere volentes expensis, & allevare labores, de consueta sedis Apostolicæ misericordia duximus statuendum, ut litteræ prædecessoris nostri Domini Urbani à tribus mensibus ante ipsius obitum destinatæ pro faciendâ justitiâ & litibus dirimendis, quæ tamen manifestum alicujus præjudicium non contineant, aut calumniam æquitatis, eundem habeant tempore nostræ administrationis effectum quem habere, si adhuc viveret debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite, quod mandavit agendum; ut nemo ad nos pro excusatione hujusmodi, accepta per illum justitiâ obtinendi fiducia, cogatur vacuus laborare. Datum Ferrariæ sexto Kalendas Novembris.

CLEMENS III.

PONTIFEX CLXXVI.

ANNO DOMINI MCLXXXVIII.

ANNO
1188.

Clemens Romanus prius Paulinus anno 1188. Gregorio successit. Bellum contra Saracenos decrevit, cum Philippo Gallie Rege hinc tributa, seu decimas Saladinæ quas vocant exigens. Siciliæ turbas post Guillelmi Regis obitum sedare conatus est. Obiit anno 1191. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 49.*)

Privilegium concessum Scotorum Ecclesie & Regi quod à nullo possint excommunicari nisi à Papa, vel ab ejus Legato à latere anno 1188.

I.
Baron. Tom.
XII. pag.
809.

Clemens

ANNO
1188.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio Willelmo illustri Scotorum Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM universi Christi jugo subjecti, ad sedem Apostolicam patrocinium invenire debeant & favorem: illos tamen specialius convenit munimine protectionis confoveri, quorum fidem, ac devotionem in pluribus est experta, ut ad ipsius electionis favorem tantò amplius provocetur, & ejus reverentiæ devotiori affectione subdantur, quantò benevolentiae ipsius & gratiae pignus se noverint certius assecutos.

Ea propter charissime in Christo fili reverentiam, ac devotionem, quam ad Romanam te habuisse a longis retrò temporibus Ecclesiam novimus, attendentes presentis scripti pagina duximus statuendum, ut Scotiana Ecclesia Apostolicæ sedi, cujus filia specialis existit, nullo, mediante debeat subjacere. In qua hæc sedes Episcopales esse noscuntur: Ecclesiæ videlicet Sancti Andree, Glasguensis, Dunkeldensis, Dublinensis, Brehinenfis, Aberdonensis, Moravienfis, Refensensis, Katinensis, & nemini liceat nisi Romano Pontifici, vel Legato ab ipsius larere destinato in Regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare, & si promulgata fuerit decernimus non valere. Adjicimus, ut nulli de cætero, qui de Regno Scotiæ non fuerit, nisi quem Apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere.

Prohibemus autem, ut controversiæ, quæ fuerint in Regno illo de possessionibus ejus exortæ ad examen extra Regnum postorum judicium non trahantur, nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si qua vero scripta contra hujus libertatis statuta apparuerint impetrata, vel imposterum istius concessionis mentione non habita, contigerit impetrari nullum tibi, vel ipsi Regno circa hujus prærogativæ concessionem præjudicium generetur. Præterea libertates, & immunitates tibi, vel eidem Regno vel Ecclesiis in eo constitutis à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus indultas, & hæcenus observatas, ratas habemus & illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat paginam nostræ constitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani tertio Idus Martii Pontificatus nostri, Anno primo.

Quod Monachi & Canonici Regulares per oppida soli non morentur.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Henrico Biruricensi Archiepiscopo Aquitania Primati, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM in Lateranensi concilio fuerit generaliter interdictum, ne Monachi aut etiam Canonici Regulares singuli in oppidis, vel aliis locis popularibus habitent: sunt nonnulli qui capellanorum vices agentes in parochialibus Ecclesiis soli morantur, & suæ professionis immemores conversari sæculariter nan formidant. Nos

iraque providere volentes, ne quod provida fuit in concilio deliberatione statutum, pro privato aliquorum commodo irritetur, presentis fraternitati tuæ scripto concedimus; ut Abbates eorum de illis reducendis ad claustrum, aut adimplendo quod in Decreto exprimitur, non differas diligentius commonere. Si verò Abbates commonitionem tuam fortasse contempserint, tu quod scribimus auctoritate nostra remoto appellationis obstaculo exquaris. Ad hoc nihilominus tibi auctoritate Apostolica indulgemus, ut si Monachi vel Canonici in tua diocesi constituti infra tres menses ad Ecclesias in quibus illis presentatio competit, & ad te institutio pertinet; non presentaverint idoneos capellanos, tu non expectata diutius presentatione illorum easdem Ecclesias appellatione remotâ canonicè ordinandi liberam habeas facultatem. Sic tamen ut ex hoc illis in posterum nullum debeat præjudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Lateranis v. Idus Julii Pontificatus nostri anno 1.

CÆLESTINUS III.

PONTIFEX CLXXVII.

ANNO DOMINI MCXCI.

Cælestinus prius, Hyacinthus dictus successit Clementi anno 1191. Henricum VI. Germaniæ Regem, una cum uxore ejus constantia Imperiali consecratione Romæ donavit. Richardo Anglo cum illo in Oriente absente magnates, quidam Regni turbas darent auxilio fuit. Imperatorem & Leopoldum Austriæ Ducem censuræ subjecit, prioreque mortuo, Friderico filio ejus Siciliam dedit. Episcopi Belluacensis captivi Loricam videns respondit Richardo: *Non est filius meus, vel Ecclesiæ, potius Martis quam Christi miles*: obiit anno 1198. sedis anno vi. mensibus circiter novem. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 4.9*)

Privilegium Ecclesiæ Scotorum: Anno 1192.

CÆLESTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio Willelmo illustri Scotorum Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM universi Christi jugo, subjecti apud sedem Apostolicam patrocinium invenire debeant & favorem; illos tamen specialius convenit promotionis munimine confoveri, quorum fidem & devotionem in pluribus est experta, ut ad ipsius dilectionis favorem tantò amplius provocentur, & ejus reverentiæ devotiori affectione subdantur, quantò benevolentiae ipsius & gratiae pignus se noverint certius assecutos. Ea propter, charissime in Christo fili, reverentiam ac devotionem quam ad Romanam te abuisse a longis retrò temporibus Ecclesiam novimus, attendentes, presentis scripti paginam duximus statuendum, ut Scotiana Eccle-

ANNO
1188.

ANNO
1191.

Baron. Tom.
XII. pag. 1
852.

I I.
Ex Anecd.
Martene
Tom. I.
pag. 631.